



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. V. Scit Deus futura contingentia in sua essentia, posito decreto suæ
voluntatis circa illa. Estque hæc cognitio intuitiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

factura sit sua voluntas: ergo neque quid futura sit voluntas creata cognoscit per supercomprehensionem.

Nam (inquit Felix de Scientia c. 5. diff. 2. n. 3.) inquiri, quid addat supercomprehensio ad comprehensionem. Nihil, nisi quod obiectum supercomprehensionis est finitum; comprehensionis vero infinitum; quod nihil aliud est, quam quærere nova nomina, ut illudant difficultatibus, & veritas obnubiletur: nam non magis comprehendit Deus creaturam, quam seipsum: si ergo cognitio, quâ Deus se cognoscit, propriissime vocatur comprehensio, quare cognitio, quâ cognoscit creaturam, vocanda est supercomprehensio? Quod confirmatur: nam supercomprehensio nequit cognoscere, quod cognoscibile non est: sed futurum, prout in voluntate libera, solum est virtualiter, ita quod potest non esse actualiter, neque actualiter est: ergo in voluntate non est cognoscibile. Denique Molina (assertor supercomprehensionis) committit circulum; nam ait: idem Deus cognoscit futura in voluntate, quia supercomprehendit illam, & idem supercomprehendit illam, quia in illa cognoscit futura. Hactenus Felix.

Nec bene dixeris: supercomprehensio est perfectior cognitio, quam comprehensio: ergo licet per comprehensionem Deus non cognoscit futura, quæ solum pendent à sua voluntate, per supercomprehensionem cognoscit futura dependentia à voluntate creata. Hoc, inquam, argumentum non valet: nam rectè Felix supra negat antecedens: nam, inquit, utraque est infinita; imò comprehensio debebat esse perfectior; siquidem habet obiectum infinitum, nempe Deum, & supercomprehensio finitum, scilicet creaturam. Sic ille.

Si autem aliquis interroget: an saltem futura contingentia naturalia, id est, quæ proveniunt à causa naturali, à Deo cognoscantur in suis causis? Communis sententia affirmat (inquit Felix supra) nam effectus naturales habent infallibilem connexionem cum suis causis; & illa cognitio ad summum importat discursum virtuale, qui Deo non repugnat, ut patet ex ante dictis. Sed enim, dicit quispiam, causa naturalis impedibilis est, vel ab alia causa naturali, vel saltem à Deo: ergo non habet infallibilem connexionem cum suo effectui; atque adeo Deus non potest infallibiliter effectum in ea videre.

Planè sic est; & idem communis sententia intelligenda est de causa naturali completa, si non impediatur: non quod in ea videat Deus effectum contingentem, tamquam in obiecto; sed ut in ratione cognoscendi, non ex parte Dei, quia hæc est infinita ejus perfectio in representando; sed ex parte cognoscibilis, id est, causa naturalis completa, & non impedita est ratio, ob quam futurum contingens naturaliter, antequam actu, & de præsentis sit determinatum ad esse, quare, inquam, sit representabile determinatè, adeoque representatum in essentia divina, & præsemit ab intellectu di-

vino, propter essentia, & intellectus divini infinitatem. Interim quia tam contingens est (ut notat Smiling sup. nu. 80. circa finem) causam naturalem non fore impediendam, ac est contingens, effectum talis causæ eventurum: hinc ulterior ratio propter causam proximam danda est, in qua sciatur, an illa causa impedienda sit, vel non, & hæc (inquit prædictus Auctor) sufficit etiam ad omnia contingentia præscienda. Sed quæ ista? Jam edissero.

Smiling.

CONCLUSIO V.

Scit Deus futura contingentia in sua essentia, posito decreto suæ voluntatis circa illa. Estque hæc cognitio intuitiva:

Intellige, ut in obiecto, & medio præcognito, & que expressa sententia Scoti 1. dist. 39. q. un. 5. Viso de contingentia, n. 23. ibi: Potest poni aliter, quod intellectus divinus aut offert simplicia, quorum unio est contingens in re: aut si offert complexiorem, offert eam sicut neutram: & voluntas eligens unam partem, scilicet conjunctionem istorum pro aliquo nunc, in re facit illud determinatè esse verum, hoc erit pro A. Hoc autem existente determinatè vero, essentia est ratio intellectui divino intelligendi istud verum; & hoc naturaliter, quantum est ex parte essentia: ita quod sicut naturaliter intelligit omnia principia naturalia, quasi ante actum voluntatis divina; quia eorum veritas non dependet ab illo actu, & essent cognita ab intellectu divino, si per impossibile non esset volens: ita essentia divina est ratio cognoscendi ea in illo priori instanti naturæ: quia tunc sunt vera; non quidem, quod illa vera moveant intellectum divinum, nec etiam termini eorum ad apprehendendum talem veritatem: quia tunc intellectus divinus vilesceat, quia patetur ab alio ab essentia sua: sed sicut essentia divina est ratio cognoscendi simplicia, ita & complexa talia: tunc autem non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam. Postea autem determinatione voluntatis divina, jam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti: & hoc idem erit ratio intellectui divino (quod erat in primo) intelligendi ista, quæ sunt jam vera in secundo instanti, & fuissent cognita in primo instanti, si fuissent in primo instanti. Ita Scotus. Quid clarius pro nostra conclusione dici poterat?

140.

Prima pars est sententia Scoti.

Sicut essentia divina est ratio cognoscendi simplicia, ita & complexa; necessaria independentem à sua voluntate, scilicet continens.

Scotus.

Ratio manifesta est: quia nihil obstat, quod minis, sicut essentia repræsentat possibilia intellectui divino, ut patet ex dictis; sic itidem repræsentet futura, supposito, quod futura sint, & jam habeant determinatam veritatem à decreto divino, vel solo, vel simul cum determinatione voluntatis humanæ, secundum diversas sententias, de quibus alibi commodius tractabimus. Sufficiat hic, essentiam divinam, ut ex ante dictis constat, esse infinitam in representando, adeoque non solum potest, sed & debet repræsentare omne quod repræsentabile

141.

Probatum ex ratione.

est, & omni modo, quo est repræsentabile; absque dubio autem futurum post decretum, quod dat futuritionem, repræsentabile est, vel tanquam necessarium, vel tanquam contingens, prout erit vel necessarium, vel contingens.

142.
Confirmatur
exemplo
oculi.
Scotus.

Quod probè sciens Scotus, sup. nu. 24. hoc exemplo confirmat suam sententiam. Sicut (inquit) si in oculo meo ex potentia mea visiva esset unus actus videndi objectum, qui semper staret, tunc si ab aliquo præsentante, nunc sit iste color præsens, nunc ille, oculus meus videbit nunc hoc, nunc illud, & tamen per eandem visionem; tantummodo erit differentia in prioritate, & posterioritate videndi, propter objectum prius, & posterius præsentatum. Et si unus color fieret naturaliter præsens, & alius liberè, non esset differentia formaliter in visione mea, quin ex parte sua oculus videret utrumque; tamen contingenter posset videre unum, & necessariò aliud, in quantum sibi unum sit præsens contingenter, & aliud necessariò.

143.
Applicatur
exemplum
ad propo-
situm.

Sic ergo intellectus divinus, in quo est unus actus videndi objectum, qui semper stat, nunc hoc, nunc illud videt, secundum quod essentia divina nunc hoc, nunc illud præsentat videndum, & tamen per eandem visionem; tantummodo est differentia in prioritate, & posterioritate videndi, propter objectum prius & posterius præsentatum. Et quia prius est, esse rem possibilem, quam futuram, sicut essentia prius repræsentat rem possibilem, scilicet ante decretum, posterius autem rem futuram; quia post decretum, sic quoque intellectus divinus prius videt possibilem, quam, futura; & quia unum est futurum naturaliter, aliud liberè, tamen ex parte sua videat utrumque naturaliter; tamen contingenter potest videre unum, & necessariò aliud, in quantum sibi unum sit præsens contingenter, & aliud necessariò.

144.
Quæ ratio-
ne Deus vi-
deat contin-
gentia in
sua essentia,
& quo mo-
do in decre-
to.

Igitur videt Deus futura contingentia in sua essentia tanquam in objecto, & medio præcognito; posito tamen decreto voluntatis suæ circa illa; atque adeò in ipso decreto, tanquam in medio determinante futura ad alteram partem contradictionis. Cum enim divina voluntas sit immutabilis, posito decreto voluntatis, iam Deus certò & infallibiliter novit effectum decretum, propter scilicet necessariam concommittantiam futuri ad ipsum decretum, & necessariam connexionem cum ipso decreto; non quasi in ratione aliqua à priori, in qua eminenter & virtualiter illud futurum contineatur; sed ut in quodam correlativo futuri: & hinc, sicut cognito uno correlativo, cognoscitur aliud; ita cognito decreto cognoscitur futurum, & vice versa cognito futuro, cognoscitur decretum; habent enim se ut correlativa in ratione causæ, & effectus, & ut sic spectata sunt simul cognitione, nec unum est ratio alterius; atque adeò cognitio divina terminata ad illorum unum non pender, etiam terminativè à se ipsa, ut terminata ad alterum.

145.
Cognitio per
decretum

Si dixeris: hæc cognitio est abstractiva. Fa- teor: sed quid tum? Per decretum non est aliter cognoscibile futurum; & perfectio est,

quòd Deus omnibus modis cognoscat futurum. Neque etiam hoc repugnat libertati actionis creatæ: quia, secundum Aliquos, illa determinatio voluntatis divinæ non præcedit determinationem voluntatis creatæ, sed concomitatur; secundum Alios autem, per illam determinationem nihil aliud ponitur intrinsecum voluntati, illam determinans ad unum, immutando naturalem modum operandi voluntatis; sed sicut determinatur substantia actus futuri, ita etiam modus libertatis. De quo plura alibi.

Impræsentiarum sufficiat, decretum non esse objectum præcognitum; quod sic probat Felix de Scientia c. 5. diff. 3. n. 8. Quia si decretum consistat formaliter in respectu rationis, vel in connotatione, in illis non repræsentatur futurum, cum ibi non contineatur: rursus talis respectus sublequitur futurum: ergo in illo non cognoscitur; nam futurum, & terminus respectus, vel denominationis præsupponuntur cognita, vel saltem simul cognoscuntur cum respectu, & denominatione: ergo in his non cognoscitur futurum, qui est terminus. Vel decretum constituitur causalitate, & in illa cognoscitur futurum in se, cum talis causalitas sit fieri futuri: ergo futurum non cognoscitur in decreto, ut in medio præcognito.

Probat 2. nam decretum, cum nihil aliud sit, quam actus intrinsecus Dei, non dependet à futuro, licet futurum dependeat à decreto: ergo decretum non est medium cognitum, neque causa, in qua cognoscatur futurum ut medium præcognitum, solum est quoddam correlativum futuri, & sicut cognito uno correlativo, cognoscitur aliud; ita cognito decreto, cognoscitur futurum. Hactenus Felix. Juvabit audire etiam Scotum sup. num. 23. in princip. Scotus Viso de contingentia rerum, quantum ad existentiam, & hoc considerando respectu voluntatis divinæ, restat videre secundum principale, qualiter cum hoc stat certitudo scientiæ ejus. Hoc potest poni dupliciter, uno modo per hoc, quod intellectus divinus videt determinationem voluntatis divinæ, videlicet illud fore pro A. quia voluntas illa illud determinat fore pro eo: scit enim, illam voluntatem esse immutabilem, & non impedibilem.

Hic tangit Scotus modum illum, quo Deus videat futura contingentia in determinatione suæ voluntatis, tanquam in objecto proximo: quia sciens determinationem suæ voluntatis, id est, videns v. g. se velle Antichristum esse pro tali tempore, & sciens voluntatem suam esse immutabilem, & non impedibilem; novit certissimè, Antichristum fore pro tali tempore. Ita exponit hæc verba Scoti Smising sup. nu. 70. quamvis Felix sup. putet, ea posse exponi in sensu sup. explicato.

Quidquid sit de hoc, Scotus modum istum rejicit, dicens: Vel aliter; quia ista via videtur ponere quemdam discursum in intellectu divino, quasi ex intuitione determinationis voluntatis, & immutabilitatis ejus, concludat hoc fore. Potest poni aliter &c. ut sup. Quasi (inquit Theod. sup.) non

non possit Deus per simplicem intuitum videre futurum; sed solum quasi deveniendo ex principiis allatis, nempe ex consideratione suæ voluntatis, immutabilitatis, & omnipotentiae in notitiam futurorum.

Hoc autem incommodum esse, probat hic Auctor: Quia etiam si intelligeremus, ejusmodi discursum non esse in Deo formalem, per realem actuum multiplicationem; sed virualem, consistentem in eo, quod idem actus divinæ scientiæ indivisibilis secundum entitatem & substantiam suam, quatenus terminatur ad futurum contingens, dependeat quasi à seipso, quatenus terminato ad dicta principia cognoscendi; tamen is ipse modus cognoscendi imperfectionem arguit in cognoscente; tum, quia, cum effectus futurus, independenter à dictis principiis (tamquam objectis) cognoscibilis sit, non est ille cognoscendi modus perfectissimus; omnis autem cognitio, quæ perfectior dari potest, est limitata; adeoque limitationem imperfectionemque ponens in cognoscente.

Tum etiam; quia licet ille actus divinæ scientiæ solum terminativè dicatur pendere à seipso, sub diversa ratione spectato, si tamen penitus rem inspicimus, talis dependentia actus non est solum à seipso, sed etiam ab objecto quodam secundario, ducente in notitiam alterius objecti secundarii; quia voluntas divina, ejusque determinatio, nec non omnipotentia, & immutabilitas divina, ad secundarium pertinent divini intellectus objectum. Unde cognoscere futurum contingens per voluntatem Dei, ejusque determinationem, ac per omnipotentiam, & immutabilitatem Dei, est cognoscere unum objectum secundarium per aliud; adeoque in cognitione unius objecti secundarii pendere, saltem terminativè, à cognitione alterius objecti secundarii. Hoc autem in divina cognitione admitti non potest, cujus infinita perfectio sibi vendicat objectum primum infinitum quoad omnem objecti perfectionem absque imperfectione; qualis perfectio est, posse representare quodcumque verum, absque recurso ad aliud representans. Huculque Theod.

Sed quæro ego: quia Deus cognoscat unum objectum secundarium per aliud, adeoque in cognitione unius objecti secundarii, pendet terminativè à cognitione alterius objecti secundarii, quæro, inquam, an ideo negandum sit Deo objectum primum infinitum quoad omnem objecti perfectionem &c. Videtur, quod non. Nùm quia Deus videt possibilia in sua essentia, tamquam in objecto primario infinito, propterea negari debet, ea videre in seipsis terminativè? Minime, ut patet ex ante dictis: hoc enim nihil aliud est, quam Deum diversis modis cognoscere possibilia, quod non arguit in eo imperfectionem; quoniam modus cognoscendi possibilia in seipsis, non excludit alium modum perfectiorem cognoscendi ea in essentia divina. Vide alibi dicta.

Quidni idem hic dicamus; videlicet, modum

cognoscendi futura in decreto per discursum virtutalem ex omnipotentia, & immutabilitate Dei non arguere imperfectionem in Deo, ex eo, quod non excludat alium modum perfectiorem ea videndi in essentia divina? Tu cogita. Dicunt Aliqui, quod in aliis admitti possit & debeat, divinam cognitionem, sub diversa ratione spectatam, pendere terminativè à seipso, v.g. cognitio finis, sub formali ratione finis, à cognitione mediorum, & cognitio mediorum, sub formali ratione mediorum, à cognitione finis: quia nec potest cognosci finis quæ talis, non cognitis mediis, nec possunt cognosci media, quæ talia, non cognito fine. Quid ergo mirum, si dicatur, divinam scientiam, quatenus terminatam ad futura contingentia, pendere terminativè à seipso, prout est cognitio divinæ voluntatis, ejusque determinationis, divinæque omnipotentiae, & immutabilitatis?

Imò si divinæ scientiæ rationem attendamus, videtur hic modus cognitionis ad perfectionem ejus pertinere: cum enim effectum futurum cognoscat non quomodocumque, sed comprehensive, adeoque omnem ejus ordinem ad suas causas penetret, non potest non illud cognoscere cum habitudine ad divinam voluntatem, ejusque determinationem immutabilem, & inimpedibilem, à qua dependet effectus futurus; cognitio autem talis dependentiæ ordinis, à causæ pendet cognitione. Sic illi.

Nunquid rectè? Respondeo (inquit Smiling supra n. 72.) aliud esse, quod unum non possit cognosci, absque altero, aliud, quod unius cognitio ab alterius cognitione dependeat: hoc enim dicit dependentiam inter cognitiones; illud verò dependentiam inter cognoscibilia, quatenus talia; fieri autem potest, ut inter cognitiones non sit dependentia, etiam si inter cognoscibilia, quatenus talia, sit dependentia; nempe, quando cognitiones non pendunt à cognoscibilibus, sed ab alio; ut v.g. partes humani corporis in speculo representatæ non sunt cognoscibiles, tamquam partes talis corporis, nisi simul, & cum mutuo ordine cognoscantur, & tamen cognitio unius partis in speculo non pendet à cognitione alterius partis in eodem speculo; sed solum pendet à virtute speculi; quia una pars non ducit in cognitionem alterius partis; sed sola virtus speculi ducit in notitiam utriusque. Et idem est in omni simultanea cognitione correlativorum, in quibus non est ratio, cur potius unum per aliud, quam istud per illud dicatur cognosci.

Ita ergo, licet Deus non possit comprehensive cognoscere effectum futurum, nisi cognoscat ejus habitudinem ad omnipotentem, & immutabilem divinæ voluntatis determinationem; adeoque nisi cognoscat hanc determinationem; non sufficit hoc, ut per talem determinationem effectum futurum cognoscere censetur, magis, quam illam determinationem cognoscat per effectum futurum, quæ se habent

An Deus possit cognoscere futura in decreto per discursum virtutalem.

Affirmant Alii, & probant à simili.

154. Imò putant ad perfectionem ejus pertinere.

155. Nunquid rectè? Respondeo Smiling.

Fieri potest, ut inter cognitiones non sit dependentia, etsi sit inter cognoscibilia.

256. Ex hoc concludit Smiling, futura non cognosci per decretum.

Smiling.

150.

Probat, modum discursum esse virtutalem, primò.

151.

Secundò.

152.

Secundò probatio impugnatur.

153.

habent ut correlativa in ratione causæ, & effectus, & ut sic spectata sunt simul cognitione, nec unum est ratio alterius, atque adeo cognitio divina terminata ad eorum unum non pendet etiam terminative à se ipsa, ut terminata ad alterum. Hucusque Smiling.

257.
Consonat
Poncius.

Consonat Joan. Poncius in suo cursu Theol. disp. 5. n. 27. ibi: In hoc sensu admitti debet, quod videantur (futura contingentia) in decreto: quia scilicet non possunt videri, quin videatur decretum; nec decretum videri potest, quin videantur futura; & juxta illud explicandi sunt Scotistæ, qui dicunt, futura videri in decreto; non verò admittendum, quod videantur in decreto, quasi prius terminaretur visio ad decretum, & propter connexionem decreti cum futuritione postea videantur futura.

258.
Alias etiam
decretum
per futurum,
sive in futuro
videatur.

Imò eodem ferè modo posset dici; quod decreta Dei videantur in futuris, quo futura in decreto: nam non potest futurum videri, quin videatur decretum, nec decretum quin videatur futurum; nec est ulla disparitas, ob quam potius futura dicantur videri in decreto, quam decretum in futuro; nisi quod decretum sit causa formalis partialis decreti, quæ disparitas non est ad rem. Itaque sicut malè diceretur; quod visio videretur in visio, aut visum in visione; sed dici debet, quod visum videatur ratione visionis, quæ dat ipsi esse visum: ita malè videtur dici absolute, quod futura videantur in decreto; sed potius dici debet, quod videantur ratione decreti, à quo habent esse futura. Hactenus Poncius.

259.
Futura videntur in
seipsis.
Poncius.

Sed numquid etiam malè dicitur: quod futura videantur in seipsis? futura contingentia (inquit idem Auctor num. 25. in principio) tam absoluta, quam conditionata, supposita futuritione, videntur in seipsis; nec requiritur aliquid aliud medium, in quo videantur, nisi quatenus requiritur aliquid aliud ad hoc, ut habeant esse futurum: nec etiam requiritur aliquid objectum motivum, præter essentiam divinam, quæ eodem modo potest movere intellectum divinum ad eorum cognitionem, supposita eorum futuritione, quo potest movere ad cognitionem possibilem.

260.
Probatur
exemplo
possibilem.

Probatur: quia possibilia seipsis terminant cognitionem divinam; nec indigent alio medio, in quo videantur, nec alio motivo, quam essentia divina; ergo & futura, posita futuritione; quia prorsus est eadem ratio. Itaque si petatur ratio, cur Deus videat, Antichristum esse futurum, non est assignanda alia; nisi quia habet scientiam infinitam necessariò terminatam ad omne intelligibile; & quia Antichristus, ex suppositione futuritionis, est intelligibilis ut futurus. Ita præfatus Auctor. Hinc patet ultima pars Conclus. scilicet, banc cognitionem Dei esse intuitivam: nam ad hanc sufficit, ut patet ex alibi dictis, ut res cognoscatur in se, id est, secundum esse suum reale præsens, aut certe in alio eminentiori, in quo perfectius cognoscatur, & repræsentetur, quam per propriam speciem; ergo ibi intuitivè cognoscuntur. Ita

Felix.

sentit Felix supra num. 10.

Et Smiling tra. 2. disp. 6. n. 265. affirmat, Beatos videre, seu intuitivè cognoscere res creatas in Deo, non tantum præsentis; sed etiam præteritis & futuris: & ad rationem pro parte negante; putà, quod res præteritæ & futuræ non magis existant, quam res possibiles, Respondet: esse existentiam præteritum, & futurum, habere rationem veri esse existentiam, licet non existentiam præsentis; latius enim patet verum esse existentiam, quam esse existentiam præsentis: in quo est magnum discrimen inter esse existentiam ut sic, & esse existentiam præteritæ, aut futuræ, quod illud dicat puram possibilitatem ad esse, istud actum tali potentia respondentem, licet non ad præsens; sed in præterito, aut futuro; est autem longè aliud, secundum rei veritatem, & abstrahendo ab omni fictione, potentiam aliquandò fuisse reductam in actum, vel esse reducendam in actum, & dari potentiam præcisè.

Habent ergo res præteritæ, & futuræ sufficientem esse existentiam, secundum quod possunt terminare cognitionem beatam intuitivam. Habent etiam illud sufficienter de præsentibus; ad cognitionem enim intuitivam non requiritur absolute esse præsens objecti in se; sed solum instar conditionis, naturaliter requisitæ ex parte objecti, ad movendam potentiam, seu causandam visionem: ergo, quando hæc motio, sive causalitas objecti potest ab alio suppleri, in quo objectum visionis contineatur virtute & eminenter; tunc sufficit, quod objectum visionis habeat esse præsens in alio virtute & eminenter. Ita verò contingit in proposito; nam res præteritæ & futuræ eminenter continentur in objecto beatæ visionis: sunt ergo in illo sufficienter præsentis, ut in illo intuitivè cognoscantur à beatis: sicut etiam ob eandem causam intuitivè cognoscuntur à Deo, Hactenus Theod.

Sed contra, dicunt Adversarii: hoc esse, quod habeat in Deo, solum esse esse intentionale, seu repræsentativum, eo modo, quo dicitur esse res in sui imagine: hoc autem non sufficit ad causandam cognitionem intuitivam, alias omnis cognitio rei per speciem intelligibilem, utpote in qua habet esse intentionale, foret intuitiva. Respondet Felix supra: licet pro tunc non habeant esse, nisi intentionale, essentia repræsentat illa secundum esse reale pro tali tempore, ita quod ex parte cognitionis Dei ita cognoscuntur ab ipso, ac si tunc essent realiter præsentia in suo tempore. Sic ille. Smiling autem ait: res præteritas, & futuras, in objecto beatifico non solum habere esse intentionale, sed etiam eminentiale; quale non habet res in specie intelligibili, quæ potest esse imperfectior ipso objecto, cuius est species; & ideo non sufficit ad causandam illam intuitivam & perfectam objecti cognitionem, quam objectum per seipsum natum est causare. Ita Theod.

Instas: res creatæ non habent esse eminenter &

& virtute in Deo, nisi secundum earum esse essentia, quatenus Deus complectitur omne, quod est perfectionis in essentia creata, & potest illam essentiam creatam ponere in esse existentia: quod autem res erit, vel non erit, seu ista complexio existentia creatae cum essentia, pendet ex libera determinatione divinae voluntatis, ex qua non pendet virtualis & eminentialis continentia creaturarum in Deo, quae non est contingens & libera, sed plane necessaria: igitur continentia virtualis & eminentialis creaturarum in Deo non sufficit, ut in illo videatur, seu secundum esse existentia cognoscantur.

Respondet Smil. sup. eminentialem continentiam rerum creatarum non esse in Deo proximam & formalem rationem eas representandi, sed remotam & fundamentalem; proximam autem & formalem esse infinitam vim divinae essentiae ad representandum omne verum, à quacumque causa veritas illa dependeat. Unde licet determinatio complexionis contingentis ad alteram partem non contineatur eminenter in Deo, ut probat argumentum, tamen propter eminentialem continentiam omnium incomplexorum in Deo, etiam in Deo est vis representandi complexiones, supposita earum veritate: cuius ratio est; quod eminentialis continentia omnis essentiae creatae in Deo inferat continentiam eminentialem omnis virtutis creatae, qualis virtus inter ceteras est, posse se representare intellectui, & cum illo causare perfectam & intuitivam cognitionem, quando creatura habet esse actuale: hoc ergo necessarium est, posse fieri à solo Deo, etiam ipso creato objecto nondum existente, vel postquam fuit aliquando. Sic ille.

Neque contradicit Scotus 2. dist. 3. q. 11. §.

Respondet n. 12. ubi sic ait: Tertiò dico, quod quantumcumque haberet (Angelus) concretam sibi notitiam singularis, & notitiam existentiae contingentis; tamen cognitionem intuitivam singularium necessarium recipit à rebus: non enim omnis cognoscens existentiam alicuius, cognoscit ipsam intuitivè; quia potest ipsum cognoscere abstractivè. Nam cognitionem intuitivam singularium non potest habere in verbo, ubi tamen cognitionem existentia habet: & idè ad cognitionem intuitivam rei necessarium concurrat objectum reale, vel ipsa res ut praesens.

Resp. Felix sup. Scotus non loqui de Verbo divino, sed de verbo mentis creato, quod producitur mediante specie impressa à Deo infusa; nam requiritur praesentia objecti. Ita hic Auctor. Et statim inquit n. 11. an si per impossibile darentur aliqua futura, quorum Deus non esset causa, an illa Deus cognosceret: aliqui negant; quia si Deus non esset causa talium futurorum, non esset infinitus in essendo, & ita neque in representando, & sic illa non cognosceret.

Sed non placet (inquit ipse) primò, quia potest esse aliquid infinitum in representando, & non in essendo, v. g. species impressa, vel expressa Deitatis. Secundò, quia forsitan posset Deus non occurrere ad illud futurum, sed relinquere causas naturales, ut solum ipsae producerent.

Tertius 1.

tale futurum, in quo casu Deus illud cognosceret, & non produceret. Tertiò; quia data hypothese, quod Deus sit infinitus in cognoscendo, & in representando, & non sit causa futuri, debebat illud cognoscere, alias non esset infinitus in cognoscendo. Hæc ille.

Equidem putant Nonnulli, de facto non concurrere Deum immediatè ad actus peccaminosos, quis autem dubitet, eos Deum cognoscere? *Prædestinatione* (inquit S. Aug. lib. de Prædest. SS. c. 10.) Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus, præcivisse autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quascumque peccata. Nam, ut ait idem S. Doct. l. 9. de Trin. cap. 10. Neque vitiorum nobis notitia displicet, sed ipsa vitia. Supposito itaque, quod Deus sit infinitus in cognoscendo & representando, manifestè sequitur, sive sit causa, sive non, debere illa futura cognoscere: nam infinitas consistit in hoc, quod omnia cognoscibilia cognoscat; tale autem futurum cognoscibile est.

Sed numquid rectè hinc sequitur: ergo decretum divinae voluntatis prius ratione, quam positum sit, à Deo cognoscitur ut ponendum? Etenim & illud futurum cognoscibile est. Idèque Nonnulli sentiunt, quod sicut Deus ante tempus, & ab æterno præcivit, quid voluntas creata volitura sit in tempore; ita in ipso nunc æternitatis indivisibili secundum rem, divisibili autem secundum signa rationis, prius ratione, quam voluntas divina se determinat ad alteram partem contingentis, & ita ad quam partem sit sese determinatura. Ego autem dico, eritque

CONCLUSIO VI.

Non videt Deus sua decreta ut futura.

Ita docet Smil. tract. 3. disp. 2. n. 95. Felix sup. diff. 7. n. 2. cum Aliis, quos citant, estque conforme Scoto, & Illis omnibus, qui nullam scientiam liberam ante decretum divinae voluntatis agnoscunt in Deo. Probatur autem ex D. Ansel. lib. de concord. c. 1. aliàs 2. ubi sic ait: Denique si quis intellectum Verbi propriè considerat, hoc ipso quod præcivisse aliquid dicitur, futurum esse pronuntiat. Non enim, nisi quod futurum est, præcivitur; quia scientia non est nisi veritatis. Sublimo: atqui divinum decretum pro nullo signo rationis habet esse futuri, ergo pro nullo signo rationis concipi à Deo potest tamquam futurum; & per consequens, nec præcivisse seu intuitivè videri, antequàm præsens sit. Consequentia est evidens; quia Deus non potest aliter concipere seu videre res, quàm sint: sive, ut ait Ansel. *Scientia non est nisi veritatis*. Si ergo decretum reverà non est futurum, ut tale à Deo nequit videri.

Quod autè non habeat esse futuri, negatur ab Adversariis; & idè non supponendū, sed probandum restat. Probatur autem: quia (inquit Smil. sup. n. 97.) si divinum decretum haberet esse

169.

Etsi Deus non esset causa futurorum adhuc ea cognosceret.
S. Aug.

170.

An Decretum divinum cognoscatur ut futurum.

171.

Smiling. Felix. Scotus!
Probatur ex D. Ansel. quod non.

172.

Decretum Dei non habet esse futurum.
Smiling.

165.

Infinitas.

166.

Respondet Smil.

166.

Infinitas non contradicit Scoto.

167.

Resp. Felix.

168.

Resp. aliquid esse infinitum in representando, & non in essendo.